



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

**Candidatus Abbreviatus Jurisprudentiae Sacrae, Hoc Est,  
Juris Canonici, Secundum Gregorii Papae IX. Libros V.  
Decretalium Explanati Summa, Seu Compendium**

**Pichler, Vitus**

**Augustae Vindel., 1733**

Titulus XX. De Crimine Falsi.

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-63462](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-63462)

haberent, unde solverent, vel, si eorum mortem expectarent, mole sc̄enoris nimiùm excreſcentis opprimerentur. Unde filiusfamilias, ex mutuo ditior effectus, renuntiare quoque potest privilegio S. C. Macedoniani; quamvis nec juratò renuntiare eidem valeat, si indè factus non sit ditior, ut habet communis contra Less. Fachin. & D. Rudolphi in *Pallad. tog. q. 27.* quia talis renuntiatio cederet in præjudicium tertii, nempe patris, indè exponendi periculo insidiarum, & Reipublicæ.

## TITULUS XX.

### *De Crimine Falsi.*

#### SUMMARIUM.

1. *Falsum, & Crimen Falsi quid.*
2. *Quibus modis committatur.*
3. *Quomodo puniatur.*

**F**alsum, vel falsitas, latissimè sumitur pro omni eo, quod non est verum: latè autem pro immutatione veritatis facta cum dolo, & animò decipiendi, ut est omne mendacium: demum strictè & huic loco propriè accipitur pro *immutatione veritatis dolò malò facta in præjudicium alterius.* Si omnia hæc tria, immutatio veritatis, dolus, & præjudicium tertii concurrant, dicitur *crimen falsi*, & notatur à Jure, h. e. specialiter punitur, & quidem primitus illud tantum, quod committitur circa Testaments, à *Lege Cornelia de falsis*, quæ idcirco *Testamentaria* appellatur,



tur, postea verò ab aliis Legibus alia quoque falsa publicis delictis annumerata, & *notata* sunt.

2 Dico I. Crimen falsi quatuor modis committi potest. 1. *dictò*, vel *verbis*, ut si Testis in Iudicio circa substantialia causæ scienter deponat falsum; si Advocatus prodat causam sui clientis admitendo probationes falsas &c. si Judex per munus corruptus ferat sententiam iniquam. 2. *scriptis*, vel per *scripturam*, ut si Notarius conficiat Instrumentum vel Testamentum falsum; si quis alienum instrumentum vitiet, supprimat &c. alienum cyrographum aut manum imitetur, sigillum adhibere faciat vel adhibeat, nimirum dolosè & damnosè, quod semper subintelligitur; manè si quis falsificet Litteras Apostolicas, cujus falsificationis novem modos recenset Pontifex *in. 1. h. t.* si quis litteras publicò Magistratùs sigillò unitas referet &c. 3. *factò*, seu *re*, ut si quis propria auctoritate cudat monetas, vel ex materia adulterina; si quis falsificet merces, pondera, mensuras &c. & sic alios damnificet. 4. *usu*, vel potius *abusu*, ut si quis falsitate ab aliis conficta scienter utatur, v. g. proferendo Instrumentum falsum. Leges aut probationes falsas producendo in Iudicio, dolosè colligendo & exponendo mentam falsam, nomen vel insignia alienæ familiæ usurpando &c. Ita communiter DD. ex variis Legibus. Atque hi omnes tenentur utique in conscientia resarcire totum damnum, & si civiliter agatur in Iudicio, ad interesse vel ad duplum. *hodie 32. ff. de Leg. Cornel. de falsis.* vel ad tractandum falsum. per *l. 2. C. de fid. Instrum.* verò agatur vel procedatur criminaliter.

Dico



Dico 2. Quamvis hodie pœna criminis falsi fe-  
rè sit arbitraria. per *Ordinat. Pœnal. Caroli V. art.*  
*107. seq.* & communem DD. aliqua tamen specia-  
les habent pœnas, & quidem in foro & de Jure  
Civili *Testis* juratò falsum deponens in causa Ci-  
vili redditur infamis, eique amputantur duo di-  
giti, in præstatione juramenti erecti: in causa Cri-  
minali verò incurrit pœnam talionis. *art. 107. cit.*  
& *art. 68.* De Jure Canonico Clericus deponi-  
tur, & in Monasterium detruditur. *can. 7. d. 50.*  
cui detrusioni subrogatur carcer, vel triremes.  
*Falsificans litteras Apostolicas*, vel falsificatis utens,  
incurrit excommunicationem reservatam. *c. 4. &*  
*7. h. t.* si Clericus sit, privatur perpetuò officiis,  
& si per se ipsum falsificet, degradatus traditur  
Curie sæculari. *c. 7. cit.* si alterius Principis litte-  
ras vel sigillum falsificet, juxta *c. 3. h. t.* pariter  
degradatus ab Ordinibus, & notatus stigmatè, in  
exilium mittitur. *Adulterinam conficiens monetam,*  
& efficaciter cooperans, item eam studiosè colligen-  
tes, & frequenter expedientes pro legitima, puni-  
untur igne. *l. 2. C. de falsa moneta. Constit. Pœnal.*  
*Carol. art. 111.* solet tamen præmitti strangulatio.  
*Utens falsis ponderibus aut mensuris, falsificatas*  
*merces vendens*, relegatur, vel fustigatur, vel pro  
qualitate & magnitudine delicti etiam morte pu-  
nitur. *Constit. Carol. art. 113.* De Jure Cano-  
nico 30 dierum jejuniò in pane & aqua  
castigandus est. *c. 2. de*

*Empt.*



Xx 4

TITU-